

FRANCISCI PATRICII
PANCOSMIAS
LIBER NONUS
DE AETHERE.

At idem hic infinitus mundus, quo modo etiam erit finitus? Vel enim, unus idemque est mundus is, qui infinitus simul est et finitus, vel duo sunt inter se differentes, alter infinitus, finitus alter. Non enim videtur, unus, idemque, eodem tempore in se posse, contrarietatem hanc recipere. Ex Chaldæorum quidem allatis dogmatibus, facilis est huius rei solutio. Empyreus enim, ad extera in infinitatem expanditur. Ad intera vero, qua, est tribus primum æthera contingit, eo concactu finitur, atque est finitus. Æther vero, qui ab eo contingit, cœlum dicitur, quod in octo, aut novem divisus orbes, ad extera, qua Empyreum tangit, et qua tangit elementa, finitum mundum facit. Atque hic est, cum elementis, totus plerisque aliis philosophis mundus. Possumus autem nos, in hac quæstione libere versari, quoniam sacri veteres Theologi Iustinus, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Theodorus, Lactantius, Theophylactus, et Procopius Gazæus, in diversa ab Astronomis, philosophisque abierunt. Quoniam nullus esset in sacris Bibliis locus, qui vel de cœlorum numero, vel de eorum motu, aut rotunditate certum aliquid pronunciaret. Igitur, cum Astronomis, et eos securis philosophis cœli contemplatoribus, cœlestia contemplemur. Et quæ in discussionem venient, perpendamus.

Oὐρανὸν cœlum philosophi appellavere id totum, quod Chaldæi, in tres æthereos distinxerant mundos. Sed etymon etheris apud Græcorum philosophos, non idem fuit. Namque Anaxagoras, a verbo αἰθῷ, ardeo deduxit æthera. Quoniam putaret, astra non aliud esse quam ignes, quibus totem arderet cœlum. Plato, quamvis de astris sentiret idem, et quod cœlum ignis esset, non ab igne aut ardore, sed a verbo alio, ἀειθέῳ quod est, semper curro, etymon derivavit. Aristoteles, Platonis sententia comprobata, Anaxagorea reiecta, ipse pessimam, nullis sensibus, nullis rationibus suffultam introduxit. Cœlum, non ignem, non ærem, non aquam, non terram, sed ab his, quintam quandam essentiam esse dixit. Orpheus sane Græcæ sapientiæ pater, et a Chaldæis, et a suis videtur dissensisse, cum caneret. Αἰθέρι πάντα πέριξ ἀφάτῳ λάβε: τῷ δ' ἐνὶ μέσῳ οὐρανὸν, ἔνδετε γαῖαν ἀπείρητον, ἔνδετε θάλασσαν.

“Æthere cuncta circum ineffabili prehendit. Inque medio cœlum, intraque terram infinitam, intraque mare.“

Si æthere cœlum comprehendit opifex, unde quaque cœlum æthere est circumvolutum. Ergo videtur æther hic Orphicus, idem cum Empyreo esse. Qui cœlum, totamque trium ætherorum molem amplectebatur. Neque vero nominum utriusque, significatio id negat. Nam Empyreus ab igne dictus est, æther ab ardore. Ardor ignis est species. Sed ulterius progrediamur. Cœlum Astronomi, in orbes octo prima partitione distinxerunt. Chaldæi in tres ætheres. Utri melius, ac verius? Utrum rursus quam utrique, et melius, et verius, hac eadem de re philosophari possumus? Si in Empyreo, sive Orphico æthere, alienum nihil reperiatur, cum eo nihil commiscebatur. Si nihil ei commiscetur, simplicissimus erit Empyreus mundus. Si simplicissimus, etiam sibi sufficiens, et perfectus, et nulla a se externa re indigus. Nam quod tres ætheres Chaldaicos, et tres hylæos, quasi in suo ventre gestet, et per eos usque ad centrum omnium transeat, id non suo, sed contentorum beneficio facit. At supremum, ac primum suum æthera, qua ratione, et quo interstitio ab Empyreo diliunxit? Et quo secundum a primo? Et tertium a secundo? Vel enim unum corpus sunt et continuatum, tum inter se, tum cum Empyreo, vel sunt, et ab hoc, et inter se separati. Videtur quidem Zoroaster, cum Empyreum ab primo æthere segregaret, in id respexisse, quod Empyreus, arderet totus, et totus esset ignis, sibi ubique similaris. Æther autem primus, non totus arderet: arderet tamen per intervalla, innumeris eius partibus, atque flammis inter se, et magnitudinibus, et coloribus,